



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 149. Prælium Montis-Leterici

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

§. CXLVIII.

Sæcul. XV.  
A.C. 1465.

## *Congressus utriusque exercitus.*

Rex, qui tum Aureliæ agebat, re intellecta Comitem, priusquam Britanniæ Duci suas vires jungeret, recta aggredi, ejusque copias fundere statuit, sed mutato paulo post consilio, Lutetiam se conferre consultius fore censuit. Nec tamen prælia discriminis effugere poterat; Brezæus enim Senescallus, cum omnino cum hoste dimicandum contenderet, viæ duces ita delusit, ut Rex licet invitus Carnutum usque abduceretur, quod est oppidum uno lapide a Monte-Leterico distans, ubi Comes S. Pauli cum quadam Burgundionum phalange castra metabatur.

§. CXLIX.

## *Prælium Montis - Leterici.*

Inopinatus iste concursus utriusque exercitus Duces haud parum attonitos reddidit, eoque ad prælii necessitatem rem esse deductam cernerent. Comes S. Pauli, cum castra sua movere haud amplius integrum haberet, quin vel suos cladi periculo exponeret, vel saltem ipse ignaviæ calumniam incurreret, ad Carolesum Comitem, qui in aperto Longigemelli campo castra posuerat, quos-

N 3                          dam

**Sæcul. XV.** dam ablegat, qui eum de rerum statu  
A.C. 1465. edocerent, rogarentque, ut rupta omni  
mora cum suis quoque copiis accurreret.  
Ergo Carolesius unacum Burgundiæ No-  
tho quantocius advolat, ac die vigesima  
septima Mensis Julii juxta Comminæum,  
matutino tempore circa septimam diei  
horam ad Montem-Letericum pervenit.  
Nec diu otiosa sietit instructa utrinque  
acies, bellatorum animis impigre ad pu-  
gnam paratis. Regis copiæ prope ar-  
cem Montis-Leterici castra ingenti se-  
pimento, fossisque munita tenebant.

**Commin.** Evidem Sagittarii Comitis Carolesii tu-  
lib. I. cap. 3. multuario licet ordine in occursum Re-  
Oliv. I. c. 35 gis pedestres ibant, omnesque illius co-  
Gaguin. I. 10 piæ jamjam proelio implicitæ erant, cum  
**Monstrelet.** tamen primæ regii equitatus legiones vix  
Vol. 3. in aciem prodire coepissent: Hæ tamen  
tanta ferocia in dextrum cornu Burgun-  
dionum irruerunt, ut eos penitus profli-  
garent. Ast Comes S. Pauli validis mu-  
nitionibus cinctus, tam horrendam flam-  
mæ, globorumque tempestatem in Equi-  
tes Gallos effudit, ut plurimis eorum  
misere trucidatis, ipse Rex non leve vitæ  
discrimen subiret. Nec segnior erat Ca-  
rolesii Comitis pugnandi ardor, vincen-  
dique aviditas, qua sinistrum Regii ex-  
ercitus cornu strenue adoriebatnr, suc-  
cessu licet minus prospero; quippe cum  
longius, incautiusque hostem insequere-  
tur,

tur, ac duntaxat suorum paucissimis sti- Sæcul. XV.  
patus esset, propemodum captus fuisset, A.C. 1465.  
nisi eum Lontajensis Dynasta e proelio  
pedem referre amica vi compulisset.

Comes cum ad Montem-Letericum rediret, haud parum attonitus hæsit, eo- quod antea dissipatas Sagittariorum, qui Regis præsidiarii erant, cohortes denuo collectas cerneret, & ipse nonnisi centum Equitum manipulo munitus esset, ceteris Gallorum pedites insequendi ardore avulsis. Evidem Carolesio hostem declinare in animo erat: ast Sagittario- rum quindecim vel viginti derepente in eum irruunt, ejus scutarium Nobilem, quem Comminæus Philippum de Organo appellitat, trucidant, ipsumque Comitem plurimis vulneribus afficiunt, ac præcipue ejusdem jugulum gladio tam alte transfigunt, ut vulneris vestigium longo post tempore permaneret. Non deerant, qui periculi contemptu improvide dimicantem retrahere conabantur, identidem acclamantes: victoribus cederet, nec vi- tam improba cæde prodigeret.

§. CL.

*Carolesius propemodum ab hoste  
captus.*

Ast ille cedere nescius, pugnare non de-  
stitit  
N 4